



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, seu Institutio Sacerdotum, Ex Divinis Litteris Et Veterum Patrum Disciplina

**Torres, Alfonso de
Ingolstadii, 1604**

De intentionis eorum puritate, & fine. §. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

De intentionis puritate, & fine. §. II.

SUMMARIVM.



PVRITAS cordis à Deo petenda. I.

Malum non suspicatur. 2.

In quo consistit. 5. 7. 8.

Intentio est lucerna actionis. 3.

In ea virtutes subsistunt. 16.

Que si in principio est prava, medium, & finem inquirit. 6.

Sollicite purificanda in conspectu Dei, qui oculos figit in eam. 9. 10. 12. 13.

Et solus amari sine socio debet. II.

Omnia ad eius gloriam facienda. 4.

Nihili faciendæ laudes, aut vituperia hominum. 14. 15.

COR mundum crea in me Deus, & spiritum re-
ctum innova in visceribus meis. *Psal. 50.*

Qui ambulat simpliciter, ambulat confiden-
ter. *Prou. 10.* vel saluus erit. *Prou. 28.*

Lucerna corporis tui est oculus tuus. *Matth. 6.*
Oculus est intentio, corpus actio. *S. Gregor. Moral. l. 28. c. 6.*

Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid fa-
citis: omnia in gloriam Dei facite. *I. Cor. 10.*

Puritas intentionis in quo consistat.

PVRITAS intentionis in duobus consistit; in
s
quæ-

quærenda videlicet gloria Dei, & vtilitate proximi vt in omnibus actibus suis nihil Sacerdos quærat, sed tantum Dei honorem, aut saltem proximorum, aut vtrumque. *S. Bernard. ep. 42.*

Si praua intentione aliquid inchoatur, medium & finis à Dæmone possidentur.

- 6 Si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas, & terminus ab hoste callido secure possidetur: quoniam totam arborem sibi fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vulnerauit, Summa ergo eura vigilandum, ne vel bonis operibus seruiens mens reproba intentione polluat. *S. Gregor. Moral. l. i. c. 20.*

Finis prælaturæ spiritualis quis.

- 7 Hic est spiritualis omnis præfecturæ finis, nimirum, priuata vtilitate neglecta, aliorum commodis inferuire. *S. Gregor Nazianz. in Apologetico.*

De eodem.

- 8 VNCTIONIS fructus est, cultus diuinæ hæreditatis. Ille ergo officium vñctionis exequitur, qui sola quærit lucra animarum. Super hæreditate quippe Domini in principem se vñctum meminit, qui hoc solum de terrena dignitate quærit, quod per suum ministerium Christus quæsiuit. *S. Gregor. c. 4. super l. i.*

Reg. c. 9.

Quan-

Quantam cordis puritatem Dei oculis
parare semper debeamus.

OMNI custodia cordis nostri sunt latebræ pri-
mitus expiandæ. Quod enim Iudæi in corporis
puritate assequi cupiunt, nos debemus etiam in
arcanis conscientiæ possidere, in qua Dominus
arbiter, atque agonothesia residens, pugnam cur-
sus & certaminis nostri iugiter spectat: ut ea, quæ
in propatulo horremus admittere, ne intrinsecus
quidem coalescere incauta cogitatione patiamur,
&c. *Cassianus l. 6. c. 9. & 21. l. 5. c. 15. collat. 1. c. 7. S.*
Bonau. de reform. mentis c. 10. Vide inf. c. 8. §. 3. de hu-
militate, a cap. Quanto magis, n. 20.

Sollicite inspicienda est mentis intentio
in actionibus.

PLERVMQVE virtus, cum indiscrete tenetur, iō
amittitur; cumq; discrete intermittitur, plus tene-
tur, &c. sed curandum sollicite est, ut, cum quis su-
sceptum negotium cum virtutis cessatione di-
spensat, semetipsum prius in radice cordis inspi-
ciat; ne sibi per hoc aliquid auarus appetat, sibi
per hoc soli timidus parcat, & eo fiat prauum,
quod in opere sequitur, quo non ex recta cogita-
tionis intentione generatur. Vnde bene in Euan- *Mat. 6.*
gelio Veritas dicit: Lucerna corporis tui est
oculus tuus, &c. *S. Gregor. Mo-*
ral. l. 28. c. 6.

S 2

Mi-

Minus te, Domine, amar, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.

11 *S. August. l. 10. Confess. c. 29.*

Deus intentionem respicit.

12 DEVS verba ex corde pensat, ideo Pharisaum sua opera narrantem deiecit, Ezechiam eadem commemorantem stabilit. *S. Gregor. Moral. l. 12. c. 15. l. 22. c. 8.*

Intentio examinanda in vltimo iudicio.

13 Non quid, sed propter quid facimus, in illa vltima examinatione quærendum est. *S. Prosper de vita contempl. l. 3. c. 14.*

Sacerdos solum Deum respicere debet, nihil pendens laudes, aut vituperia hominum.

14 QVI aliorum edocendorum prouinciã suscepit, is ne de aliorum laudibus dependeat, neue ab aliis animum despondeat. Quin, orationes hoc consilio meditatus, vt Deo omnipotenti gratæ, acceptæq; sint, hunc vnum sibi statuatur cano- nem, ac terminum optimi illarum opificij, non etiam plausus, ac laudationes. Laudatur is ab hominibus? laudes ne reiiciat. Laudes ab auditoribus illi negantur? eas ne ambiat, neu negatis indoleat. Abundans enim illi fuerit laborum solatium, idq; omnium certe maximum, si sibi ipse conscius esse potuerit, ad hanc serationem, doctrinam, eloquentiamq; suam composuisse, atq; adaptasse, vt Deo illa placens, acceptaq; fiat. *S. Chrysost. de sacerdotio.*

dotio l. 5. Vide inf. c. 4. §. 2. de constantia, à cap. non carebis. n. 11. Et c. 8. §. 6. de temporalium contemptu. S. Greg. Moral. l. 6. ep. 14. l. 8. epist. 45. l. 9. ep. 39. Et sup. S. proximo, cap. signa, n. 36. S. Bonauen. de inform. novitiorum. p. 2. c. 10.

De eodem.

Qui nimium attendit ad voces hominum, nihil recte faciet, iuxta illud: Qui observat ventum, 15
numquam seminat; &, qui observat nubes, non metet. S. Thom. super illud Matth. 11. Ecce homo potator vini. Eccle. 1.

Virtutes in intentione subsistunt.

Sicut fabrica columnis, columnæ autem 16
bus innituntur, sic vita nostra in virtutibus; virtutes autem in intima intentione subsistunt. S. Greg. Moral. l. 28.

c. 6.



S 3

De